122
18

DE ROMANA CATHEDRA ORATIO

HABITA

IN TEMPLO VATICANO

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.

A

MARCHIONE CAROLO SACRATI.



ROMÆ ANNO JUBILÆI MDCCL.

EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

CAROLUS SACRATI
FELICITATEM.

SI *in operum nuncupatione*, BEATISSIME PATER, *ejus potiſſimum ratio haberi ſolet, qui poſ-*

ſit, ac velit oblatum ſibi munus vel patrocinio defendere, vel ſplendore nominis illuſtrare, nullius mihi potius habenda erat, quam Tui, qui & ea es poteſtate tuarum magis gloria virtutum, quam alieno beneficio parta, qua proxime accedis ad Deum, eaque benignitate, qua (ut communis omnium Parens) concedis hominum nemini, & a quo patrocinium ac tutelam Oratio hæc noſtra, licet exigua illa ſit, jure ſuo poſtulare videbatur. Integritas ſiquidem morum ex ſingulari indole tua, atque optimis vitæ inſtitutis, quam adoleſcens pie coluiſti, illuſtraſti Do-

Digitized by Google

Doctor inſignis , Præſul autem ad miraculum uſque promoviſti; prudentia illa propemodum divina, qua Tibi facem præferente, in ſupremis Magiſtratibus, in Dignitate Epiſcopali, & in ampliſſimo Cardinalium Collegio inoffenſo ſemper pede cucurriſti; celſitudo animi , robur mentis , conſtantia Summo Pontifice digna, quam nihil unquam a recto, nihil a legum ſeveritate deflexit , quæque etſi nunc cum ſumma poteſtate conjuncta ſit, non eam tamen Pontificatus peperit , ſed oſtendit : Hæc profecto ſunt, & alia id genus, quæ gradum Tibi ad ſummam Di-

gnitatem opinione omnium perfecere. Sed inter tot egregias virtutes, illæ Te præter cœteras, Deo Eccleſiæ proſpiciente, ad faſtigium iſtud evexerunt, ardor videlicet ac ſtudium revocandæ in Chriſtianos mores apoſtolicæ innocentiæ; & doctrina illa tua eximia, atque admiranda cum incredibili eruditione, ac perſpicuitate conjuncta, qua facile omnes intelligant, quid bonis, doctiſque viris ſperandum, diſcendumque ſit, malis vero, atque indoctis pertimeſcendum; quorum alterum præcipue comprobarunt tum leges illæ, quas identidem perfeceras prudentia,

& ſua-

& ſuavitate plenas, ac tempori, moribuſque conformandis Chriſtianorum accommodatiſſimas; tum cura, & ſollicitudo Urbis præſertim luſtrandæ, qua accitis undique religioſis Viris, qui verbis, atque opere populorum moribus præeſſent, & Civium ſaluti, & exemplo exterorum proſpexeras; alterum vero plane patefactum eſt egregiis illis, editiſque Operibus, queis profecto quiſnam mortalium Te felicius, Te rectius unquam ſacrarum promovendo cultui literarum, ac hominum piorum moribus ad examen revocandis accommodatius exemplar præbuit?

Qui

Qui rem multiplicem & vetuſtate obſcuram tanta ingenii facilitate, tantaque luce perfudiſti, ut doctrinarum pene omnium notitiam non induſtria, & labore partam tuo, ſed ſuapte natura Tibi prognatam, atque in morem omnino verſam crederemus. Hinc vides quomodo in Te unum omnium conjiciatur obtutus, omnes Te non modo ut unum ex Summis Pontificibus colant, ſed ut Doctorem omnium, atque Parentem, & abſolutam Chriſtianæ vitæ normam, ac decus integrum Romanæ Cathedræ intueantur. Accipe igitur, BEATISSIME PATER, *munuſcu-*

lum

lum Tibi multis nominibus debitum, veritumque ſubire publicæ lucis periculum, & ea animi benignitate, atque clementia accipe, qua mihi philoſophicis & olim Theſibus Mecœnas extiteras, & me nuper juſſiſti fore Sacræ Rotæ ſacratioribus Conſiliis ſingulari privilegio participem; patiare vero hac die, ut pedes tuos deoſculaturus adeam oratum, ut me benedictione compleas tua, tuamque Sanctitatem univerſo Orbi Chriſtiano Deus incolumem ſervet.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiep. Tharſi Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicatorum Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Socius.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

DE Romana Sede BEATISSIME PATER, conatus ea dicere hodierno die, quæ & loci amplitudine, & majeſtate tua fore digniſſima viderentur, de Sapientia Romanæ Cathedræ, qua Fidelium incolumitati ſemper proviſum eſt, deque incredibili conſtantia, qua fuit jugiter adverſum Chriſtianæ Religionis hoſtes feliciſſime certatum, brevi oratione loqui me debere judicaram. Cum enim ad Apoſtolicum Solium divinarum, atque humanarum rerum poteſtas pervenit, cœlitus factum eſt, ut hæ duæ virtutes in hoc excelſo conſtitutæ loco, cum per ſe maximæ ſint, adeo excreverint, propagatæque ſint, ut ſi quid in Fidei, morumque negotio

tio

tio reliquis ab Eccleſiis paſſim per Orbem diſperſis effectum eſt, ab iis profecto tamquam ab uberibus æternæ veritatis fontibus abunde manaverit.

Quamobrem obortis ſubinde variis per Occidentem, atque Orientem erroribus ſemper ad hanç ſapientiam, quæ vere in Altiſſimis habitat, undique ab omnibus itum eſt, captumque conſilium, ut opem poſcenti tot hæreſum procellis exagitatæ Naviculæ utraque manus præberetur. Adeatis quæſo ſæcula remotiora; ubinam Epiſcopi de ſuis Sedibus pulſi, ac propemodum toto Orbe extorres, ut Athanaſius quondam, ac Petrus Alexandrini, Paulus, & Chryſoſtomus Conſtantinopolitani auxilium, ac refugium invenerunt, niſi in hac Sede? Unde Principes ſubſidium, ſubditi ſolatium, in bellis opem, in pace incrementum retulerunt, niſi ab hac Sede? Undenam ad unum nos omnes quavis tempeſtate cœleſtium abundantiam Commodorum, Dogmatum explicationem, Ritus Sacramentorum, Indulgentiarum communicationem hauſimus unquam, obtinuimus, niſi ab hac Sede? Hæc Sedes eſt, quæ modo vacans extinguendis lupis in Chriſtianum gregem irrumpentibus, modo cogendis ſtudens in Ovile Chriſti agnis, divinarum rerum ignorantiam ubivis gentium barbararum, temporumque diſcriminum exulare omnino juſſit, hinc adapertis erudiendæ plebi

amplis

amplis gymnaſiis, hinc miſſis ad diſſitas Mundi plagas Apoſtolicis, litteratiſque Viris, illinc convocata Eccleſiæ univerſæ auctoritate, ubi communibus Epiſcoporum vocibus, ac diuturna adhortatione privatarum opinionum ſeditio componeretur, modo editis Canonibus, quibus non ſolum ſenſus comitaretur veritatis, cui Hæretici ſuis argutiis inſidiabantur, ſed etiam comprehenderentur mores incorrupti veterum Chriſtianorum, quos prava conſuetudo penitus deleviſſet, niſi Romanæ Cathedræ ſollicitudo, ac ſapientia teſtimoniis ex toto Terrarum Orbe conductis Chriſtianæ inſtitutionis memoriam uſque ab Apoſtolorum ætate repetiviſſet, ut in tota Canonum ſerie per plurium ſeculorum curſus ad nos uſque deducta imaginem Apoſtolicæ vitæ velut in ſpeculo contemplaremur.

Reparandarum vero exitus hujuſmodi Doctrinarum plane fuiſſet in tanta hominum peſſimorum inſolentia pertimeſcendus, niſi Romana Cathedra conſtantia occurriſſet ſua, atque bonorum una, malorumque miſerata periclitanti Religioni opem tuliſſet. Quot etenim, bone Deus, ſub primis ipſis Eccleſiæ initiis, quot inquam tartareis e latebris perſecutiones eruperunt Judæorum, atque Ethnicorum, quæ huic Sanctæ Sedi communes cum reliqua Eccleſia fuerunt? Sane Hæretici in primis permulti non ſemel atque bis, ſed

fre-

frequentiſſime renovatis exercitibus cum Sede Apoſtolica aperto marte conflixerunt. Æmulatio quidem Græcorum ac ſuperbia non ante deſtitit una vobiſcum bella gerere, quam ipſi a Turcarum Principe oppreſſi ſinceram Fidem cum dignitate amiſerunt. Tum Imperatores potentiſſimi, iidemque Chriſtiani, quodque magis refert ſub nomine Religionis, ac Pietatis Apoſtolicum Petri Solium, unde ad eos Imperii ſceptra pervenerunt, dejicere, atque evertere ſæpe conati ſunt. Et quaſi hæc parva fuiſſent, addendæ erant ſeditiones turbulentiſſimæ, & ad conſtantiam Romanorum Pontificum enervandam ampliſſimæ, non aliquot modo diebus, ac menſibus, ſed annis etiam, immo & ſæculis duraturæ, niſi divina Servatoris noſtri clementia præſto fuiſſet tantis malis ærumniſque perpetuis ad Patrem precibus finem poſitura.

O Roma, Roma, Apoſtolica Petri Cathedra, quam triumphis, imperioque quondam tuo auguſtior; tu illa es, quæ ſuſceptam ſemel ab Apoſtolis Chriſti Fidem tot ſummorum Pontificum vigilantia numquam poſtea deſerveras! Quæ non a tuis tantum, ſed ab aliarum quoque finibus Eccleſiarum Hæreticos, Schiſmaticos, alioſque Chriſtiani nominis hoſtes tam ſæpe depuleras. Quæ violatam ab aliis fidem, & amicitiam tam crebro reſtitueras! tam firmis præſidiis ſepſeras! tam multis ornamentis affeceras, ut

pri-